

# BERNARDVS I XVI, EPISCOpus PADERBORN.


Annus Christi 1128.

Honorij II Pont. 4.

Lotharij II Reg. 4.

Bernardi I Ep. Pad. 1.

Dodechi-  
nus.  
Gobelinus.  
Bruschius.  
Auctor vi-  
tae è Mo-  
nachis  
Hardehu-  
sanis.  
Bernar-  
dus è no-  
bili fami-  
lia de O-  
sede eli-  
gitur à  
Clero  
Episc.  
Paderb.



B excessu Henrici Antistitis libera cleri electio-  
ne subrogatus est Bernardus, eo nomine pri-  
mus hujus Ecclesiæ Episcopus. Ortus is erat  
ex illustri Dynastarum in Osseidi familia, quæ  
Osnabrugum inter & Iburgum claram priscæ  
nobilitatis sedem habebat. Hanc ipsam Lu-  
dolphus de Osede haud multò post, anno vi-  
delicet 1174, cùm liberos non suscepisset con-  
vertit in Monasterium virginum, quale hodieum aspicitur, coli-  
turque: in quod tum à Philippo Osnabrugensi Episcopo introductæ  
sunt Virgines. Fallitur proinde Bruschius, alijque, qui Bernardum è  
familia nobilium de Disede deducunt; cùm Auctor vitæ ejus è Mo-  
nachis Hardehusanis ex familia nobilium de Osede ortum scribat.  
Igitur Bernardus vir, qui, præter familiæ splendorem, omnia virtu-  
tum ornamenta ad Episcopi munus attulit; quippe à primis annis  
traductus ad scholas, & cooptatus in clerum Paderbornensem, mul-  
tos jam annos sese doctrinâ, pietate, fervore religionis, vitæque in-  
tegritate commendârat. Hinc postquam ex aula & manu Impera-  
toris electio Episcopi ad clerum est traducta, virum hunc in Colle-  
gio probatum ac dignissimum selegerunt Canonici, ostenderuntque,  
optimum quemque synceris suffragationibus inveniri. Quod res ab  
eo laudabiliter per xxxii annos pro Ecclesia sua gestæ docebunt, qua-  
rum hoc ipso anno primo Episcopatus sui præclarum initium dedit.

Cum Wi-  
dekindo  
Comite

Nam cùm per id tempus Widekindus Comes Swalenbergen-  
sis, Bernardi Episcopi consanguineus, & conjux ejus Luthrudis, ex  
heredi-